

& ceterarum domorum, quære in capite tabellæ, & quod in angulo communi reperies de gradibus & minutis, aut minutis duntaxat, adde huic domui cuius accepisti differentiam: hoc pacto iustius cœli domicilia ad meridiem institues.

Ad tempus autem quodcumque post meridianum, initia duodecim cœli domiciliorum hac norma absolues. Cum signo & gradu Solis, ex Almanach receptis ingredi tabulam domorum tuę habitationis, quemadmodum prælibauimus, & euicino gradus solaris sinistrorsum tempus in horis & minutis repertum extra notato, Memento tamē si gradui solis minuta affuerint, differentię sumendæ: de qua & minutis Solis accipe partem proportionalem iuxta integros gradus ad .60. minuta, quam partem proportionalem tempori extra scripto adiunge, minuta minucis & secunda si .30. excesserint, eorum loco minutis unitatem appone: si pauciora .30 fuerint, reijce ea. Temporibus rectificato pro gradu & minutis Solis, adde tempus tuum post meridianum minuta minutis, & si 60. attigerint, pro eis unam horam ad horas præcedentes augeas, adde etiam horas horis, & si ad .24. aut plures creuerint, reijce .24. reliquis seruatis. Adiunge tandem pro quibuslibet .6. horis temporis post meridiani unum minutum tempori iam seruato, & conflabis tempus præcisum & egregium intentioni tuę. Cum quo tabulam domorum tuę habitationis ingredi, & in quo uersu horas & minuta aut uiciniora offendes, mox in eodem sex domos cœli agnosces.

Si autem ad tempus antemeridianum .12. cœli cuspides statuere uolueris, distantiam propositi temporis à meridie surripi à tempore per signum gradum & minuta Solis secundum modum præexpositum uerificato, aut à .24. horis accommodatis (si aliās surreptio fieri nequeat) deme etiam toties unitatem quoties distantia temporis à meridie senarium continet, & cū residuo intra tabulam domorum, & age quemadmodum de tempore postmeridiano præcepimus, & incertam noticiam sex cuspidum cœli deduceres. Obseruandum tamen quod quotiescunque tempus finaliter quærendum in tabula repertum non fuerit, intrandum esset cum tempore minori illic reperto, & cum residuo tempore, & differentiis domorum elicies portiunculas domibus adiiciendas, & sic rite omnia absolues. Sex domibus quantum ad earum initia aut cuspides cognitis aliæ sex per diametralem oppositionem in ipso zodiaco quam facillime cognoscentur. Si præcisione omnimodam in cœli domibus construendis amas, Ioannis de Regiomonte directorium consule, sed plus te difficultas operis anget quam præter utilitatem subtilis præcisio delectationis ingeret. Postremo, habitis initiis .12. edium cœlestium suscita pro tua industria figuram cœli quemadmodum iudices astronomiæ usitato erigunt atque depingunt. Cui ex Ephemeridario insere (prout res ipsa exigat) loca planetarum, in hanc enim domum planetam quempiam intrudes quæ eius gradum sub quo planeta decurrit in figura cœlesti comprehendit: tandem uaticinare effectus futuros, res naturæ secretissimas & profecto miratu dignissimas. Lector Vale.